

serio modum contractui adjecisse. Modus honestus et possibilis observandus est.

40. *Causa est ratio ob quam quis contractum conficit, et solet exprimi, per particulam causalem quia.*

41. *Demonstratio est affinis causæ et nihil aliud est quam 'expressio alicujus qualitatis, quæ supponitur in persona cum qua contrahitur' ex gr. contraho tecum quæ es filia Ducis.*

Specificum discrimen inter causam et demonstrationem est, ut causa exprimat motivum quod impellit ad contrahendum, demonstratio vero indicit quænam sit intentio contrahentis, vel circa personam, vel circa qualitatem, quæ in mente versatur.

42. Ex qua notione patet falsam causam, vel falsam demonstrationem matrimonium irritare in duplici hypothesis, 1^o. si error causæ vel demonstrationis sit substantialis, idest si sit error in personam vel si afficiat qualitatem, quæ in personam redundat; 2^o. si falsa causa vel falsa demonstratio in conditionem transeant, idest si appareat consensum causæ vel demonstrationi fuisse alligatum tanquam conditio sine qua non.

TITULUS VI.

Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.

I.

De Clericis.

1. Clerici in *sacris* ordinibus constituti, nec licite nec valide matrimonium contrahunt; eos enim Ecclesia inhabiles reddit ad contrahendum. Ita in *cap. 1. et 2. h. t. in cap. un. de voto in VI. et in can. 9. sess. 24. De Reform. matrim. Conc. Trident.* Hinc ordo major est impedimentum dirimens matrimonium ab Ecclesia inductum.

2. Quod si clericus in majori ordine constitutus, matrimonium attentaverit, juxta *cap. 1. De clericis conjug.* compelli potest per suspensionis et excommunicationis censuram, ad dimittendam mulierem et ad agendam pœnitentiam.

3. Ex dispositione *capp. 1. et 2. h. t.* nec non 4. '*De clericis conjug.*' clerici majores attentantes matrimonium fiunt irregulares. Quin immo juxta Clem. un. '*De consang. et affin.*' ipso facto incurrunt excommunicationem.

Ab hac excommunicatione et irregularitate inspecto jure communi potest Episcopus absolvere, si clericus vere resipuerit, et pœnitentiam egerit, dummodo non contraxerit cum vidua. *Capp. 1. et 2. h. t.; cap. 4. De clericis conjug., cap. ult. de Bigam. non ordin.*

Verum accessit praxis Sacræ Inquisitionis, quæ clericos majores matrimonium attentantes considerat et punit veluti suspectos de hæresi vel de *vehementi* vel *levi* juxta facti circumstantias. Hinc hodie non potest Episcopus dispensare, circa irregularitatem prædictam post peractam pœnitentiam.

4. Quid vero dicendum de excommunicatione?

Notamus in constitutione '*Apostolicæ Sedis*' inter excommunicationes latæ sententiæ Episcopo sive ordinario reservatas sub num. 1. decerni hanc pœnam contra clericos in sacris constitutos, matrimonium contrahere præsumentes, nec non contra omnes, cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes. Quare quoad excommunicationem absolutio potest ab Episcopo seu ab ordinario concedi.

5. Clerici in *minoribus* ordinibus constituti, licite et valide contrahunt matrimonium, at eo ipso privantur Ecclesiasticis beneficiis, si quæ habent. Factum enim ipsum consideratur ceu renunciatio clerici ipsius, qui amplectitur statum ab Ecclesia Latina, ceu incompatibilem consideratum cum divinis officiis et obsequiis, quibus clericus mancipatus esse debet. Unde nec requiritur declaratoria sententia judicis. Unde clericus illico decedit a jure percipiendi fructus beneficii sui. Deducitur hæc conclusio ex *cap. 5. De cler. conjugatis.*

Reliqua in *tit. De convers. conjug. De clericis conjug. De tempore ordination. et qualit. ordinandorum.*

II. De Voto.

6. Votum *solemne* irritat matrimonium quod post votum emissum contrahitur.

Votum autem *simplex* solummodo *illicitum* reddit matrimonium, *cap. 3. 4. et ult. h. t.; cap. un. 'De voto' in VI^o. et can. 9. sess. 24. De Ref. matrim. Conc. Trid.*

7. Verum votum simplex duplici in casu matrimonium irritat, 1^o. Votum castitatis emissum a muliere quæ consentit virum suum

feri sacerdotem. Mulier enim hujusmodi, nec viro e vivis erepto matrimonium contrahere potest. *Can. Servatim. 13. Dist. 32. in Decreto*, quæ canonis dispositio ceu jus ab omnibus recipienda est, quemadmodum probat Sanchez *De matrim. Lib. 7. disp. 40. per totum.*

2º. Votum simplex ab Alumnis societatis Jesu emissum quoad usque ipsi in societate vivant, nec fuerint a Superiore Generali dimissi, const. Greg. XIII. *'Ascendente Domino'*.

8. Votum autem simplex semper irrita reddit sponsalia, quæ postea contrahantur, nam promitti nequit, quod non potest impleri absque culpa cap. 6. h. t.

Quod autem sit votum solemne, et quod simplex, nec non reliquæ quæstiones circa materiam voti, tractantur in titulis 31. et 34. libri 3.

9. In constitutione *'Apostolicæ Sedis'* inter excommunicationes latæ sententiæ Episcopo ordinario reservatas, sub n. 1º. decernitur excommunicatio latæ sententiæ contra clericos in sacris constitutos, vel Regulares, aut moniales post votum solemne castitatis, matrimonium contrahere præsumentes, nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

Quæritur utrum ejusmodi censura percellat personas de quibus sermo est in citato numero, quæ contraherent matrimonium appellatum *civile*.

Præmitto nondum prodiisse authenticam interpretationem hujus canonicæ dispositionis, qua proposita quæstio dirimatur. Verum arbitror, doctrinaliter, seu theoretice sustineri posse, matrimonium dictum *civile* comprehendere sub censura latæ sententiæ, de qua in cit. paragrapho Pontificiæ constitutionis.

10. Et sane 1º. Quoniam personæ de quibus sermo est in citato paragrapho non possunt contrahere verum matrimonium, sub appellatione matrimonii, in eo paragrapho venire debet solummodo attentatum matrimonium. Jam vero illi in sensu juris præsumunt attentare matrimonium, qui celebrant contractum habentem figuram et speciem matrimonii. Jam vero contractus dictus civilis revera exhibet figuram seu speciem matrimonii; etenim eo dirigitur contractus hic, ut collocet personas contrahentes in conditione matrimoniali legali coram societate civili, et ideo in hypo-

thesi nostra a clerico majore vel a Regulari, aut a moniali contractus perficitur civiliter, ut eorum status habeat saltem umbram status conjugalis; videlicet duo contrahentes in hypothesi nostra ideo civiliter contractum celebrant coram populo, ne videantur esse fornicarii aut concubinarii, sed ut habeantur tanquam vir et uxor. Quapropter in ista celebratione contractus verificatur proprie dictum attentatum matrimonium, cujus attentati matrimonii solummodo est capax clericus in majoribus ordinibus constitutus, et Regularis vel monialis post votum solemne.

11. 2º. Inspicientes dispositionem citati paragraphi 1º. eamque comparantes cum *Clement. unic. De consang. et affinit.* deprehendimus intimam relationem intercedere inter utramque legem ita ut videatur Pius IX., voluisse confirmare et in usum revocare legem latam a Clemente V. scilicet uterque legislator videtur voluisse censura excommunicationis latæ sententiæ percutere clericos majores, quoties audeant simulatum matrimonium inire, simulque curæ et studio Episcoporum committere, ut clerico delinquenti assistant, eurentque emendationem ejusdem. En verba Clementinæ dispositionis: *'Clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes . . . ipsos excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subjacere; præcipientes Ecclesiarum Prælati, ut illos quos eis constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice tandiu nuncient, seu a suis subditis nunciari faciant, donec suum humiliter recognoscentes errorem, separentur ab invicem et absolutionis obtinere beneficium mereantur.'*

12. Differentia inter Clementinam et Pianam constitutionem in eo solum est, ut Pius IX. extenderit ad personas contrahentes cum Clericis vel Regularibus sanctionem a Clemente V. latam, contra ipsos clericos in sacris ordinibus constitutos vel Regulares. Jam vero sub sanctione Clementinæ constitutionis veniebant clerici, qui attentassent formam, speciem, figuram contractus matrimonialis. Ergo a pari sub Piana constitutione venient personæ sacris vinculis obligatæ, quæ simulatum contractum conjugalem i. e. non vero matrimonium, sed solum umbram et figuram legalem contractus conjugalis celebrare audeant. Talis autem est contractus dictus civile matrimonium.

13. 3º. Constitutiones generales, quæ promulgantur, hunc finem habent, ut introducant uniformitatem in disciplina Ecclesiastica.

Hinc constitutio generalis eo dirigitur, ut evitet vel corrigat abusus qui vel generales jam existunt vel prævidentur fieri posse generales. Jam vero spiritus seu intentio legislationum civilium nostris temporibus est ut ubique instituatur et observetur matrimonium civile. Quo posito abusus qui prævideri possunt in hac materia, et revera contingere cœperunt ex parte personarum, vinculis spiritualibus ligatarum, sunt ut personæ istæ per contractum civilem studeant, sub umbra legalitatis, et protectione legum civilium tegere propriam turpitudinem.

Sane in locis in quibus adest lex de contractu civili, nullus Clericus major, nullus Regularis post votum solenne castitatis contrahit vel contrahere præsumit matrimonium Ecclesiasticum, sed unicus abusus, qui prævideri potest, est ex parte matrimonii civilis. Ergo legislator qui aptat legem suam temporum circumstantiis, præsumitur voluisse salutari pœna percellere abusum hujusmodi, ut personæ ecclesiasticæ quo fieri possit ab eo deterreantur.

14. 4^o. Constitutio '*Apostolicæ Sedis*' est generalis; quare valet pro omnibus locis, sive in ipsis promulgatum fuerit Tridentinum sive non. Jam vero nemo negare potest pœnam statutam in citato paragrapho afficere personas vinculis religionis obligatas civilem contractum matrimonii celebrantes in illis locis, in quibus promulgatum non est Tridentinum. Si ergo sanctio nostra non valeret in locis in quibus promulgatum est Tridentinum, melior esset conditio iniquorum Clericorum et Regularium ubi promulgatum est Tridentinum, quam aliorum qui versantur in locis, ubi Tridentinum publicatum non est, cum e contra culpa major priorum est præ secundis; si quidem priores audent contrahere non solum contra obligationem proprii status, sed etiam audent amplecti formam ab Ecclesia reprobata; forma enim civilis prout statuta est legibus ecclesiasticis adversatur. Jam vero anticanonicum est majorem culpam minori pœna plectere et viceversa. Ergo dicendum est matrimonium civile in omnibus locis venire sub sanctione citati paragraphi.

15. Difficultas ex eo deducitur, quod Ecclesia non soleat contractum civilem appellare matrimonium et per consequens si in paragrapho nostro sub nomine matrimonii intelligendus esset civilis contractus, iste nobilitaretur.

Huic difficultati sic respondemus: constitutio '*Apostolicæ Sedis*' positive non approbat contractum civilem, sed per appositam censuram solummodo conatur ab eodem arcere personas vinculis sacris obligatas. Hinc modus loquendi constitutionis dici potest *negativus*, seu totus sistit in prohibitione et Pontifex nec implicite nec explicitè dicit, *alias esset matrimonium*.

Ceterum vocabulo *matrimonii* uti potest Romanus Pontifex, eo quod vulgatus est communis modus loquendi, seu appellandi civilem contractum nomine matrimonii.

16. Nec obstat postremum decretum S. Congregationis Concilii diei 7. Aprilis 1879, supra relatam, nam dispositio hujusmodi respicit unice impedimentum publicæ honestatis, nec excludit pœnam, qua plectantur quædam personæ, quæ contractum civilem matrimonii audeant perficere.

17. Pro temporum nostrorum opportunitate quæri potest, quænam via tenenda sit in hypothesi qua persona aliqua, vinculis sacris ligata, contractum civilem qui matrimonium dicitur, celebrare præsumperit. Expedite pronunciare sententiam declaratoriam excommunicationis contra istam personam?

Præ oculis haberi debet, quod persona ista, post sententiam declaratoriam Episcopi, eo ipso reddatur vitanda juxta Constitutionem Martini V. '*Ad evitanda*'. Persona enim ista fit nominatim excommunicata; quapropter ex locorum præsertim et personarum circumstantiis videndum est, utrum expediat nec ne hanc viam experiri.

Potius alia via proponenda esse videtur. Quoniam nondum authentica declaratio prædicti paragraphi prodiit, opportunum esse videtur, ut ordinarius quando casus in propria diœcesi contigerit, rem totam Apostolicæ Sedi referat, ab eaque expostulet instructionem. Equidem scimus quendam Episcopum Regni utriusque Siciliæ ita sese gessisse, et S. Congregationem Concilii respondisse eidem, ut clerico in majoribus constituto, qui contractum civilem matrimonii celebraverat, et cum scandalo publico mulieri adhærebat, trinas faceret monitiones, quæ si in irritum cessissent, procederet contra illum etiam Apostolica auctoritate, ad sententiam excommunicationis promulgandam.

TITULUS VII.

De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit
per adulterium.

1. Tituli objectum est impedimentum *criminis*.

Non quodlibet crimen dirimit matrimonium, sed crimen *adulterii* et *homicidii*. Siquidem canones volvere impedire turpes amores, alterutrius conjugis cum extranea persona, et simul avertere votum captandæ mortis conjugis innocentis.

Impedimentum criminis in eo consistit, ut etiam resolutum matrimonio, conjux superstes nec licite nec valide novum matrimonium contrahere possit cum illa extranea, quam constante primo matrimonio, sibi conjunctam habuit turpi dilectione.

Ut ordini et perspicuitati consulamus in speciales casus materiam tituli dispescimus. Præmittimus vero ex solo adulterio non enasci impedimentum criminis. Scilicet si quis absque ullo intuitu futuri matrimonii, adulterium committat cum conjugate alterius, valide cum eodem conjugate matrimonium contrahit, post resolutum primum matrimonium. Ita in c. 6. h. t. Idem dicendum de homicidio.

2. Hisce positis impedimentum criminis contrahitur 1º. *per adulterium formale, cum promissione acceptata futuri matrimonii*. Cap. 6. 7. et fin. h. t.

Requiritur autem a) ut adulterium sit *utrinque* formale; formale autem habetur adulterium, quando *perfecta* copula carnalis inter personas intercedat, quarum vel utraque vel alterutra sit vinculo conjugali tertiæ personæ ligata et simul utraque pars cognoscat hoc ligamen.

Requiritur nempe ut tum vir, cum mulier cognoscat malitiam carnalis commixtionis, inferentem injuriam fidei conjugali c. 1. h. t.

b) Requiritur ut intercedat inter adulteros promissio acceptata futuri matrimonii capp. 6., 7. et cap. ult. h. t. Etenim per hanc promissionem crimosam revera incipit esse tractatus pravus, quo foventur iniqui amores, incipiuntque desiderari damnabiles nuptiæ, et insinuat sponte sua votum captandæ mortis conjugis innocentis, quare malitia specifica hujus criminis in eo consistit, ut duplex injuria irrogetur legitimo matrimonio, idest fides conjugalis rumpitur per adulterium, et matrimonii ipsius solutio procuratur per promissionem novarum nuptiarum.

Porro indifferens est utrum hæc promissio facta fuerit ante vel post adulterium, dummodo facta fuerit vivente adhuc conjugate innocente, idest constante adhuc matrimonio.

3. 2º. Secundus casus traditur in cap. 1. h. t., et est casus *adulterii cum attentato matrimonio*. Videlicet: Si duo quorum uterque vel alteruter ligatur vinculo conjugali cum tertia persona, attentent inter se et consumment matrimonium, contrahunt vicissim impedimentum dirimens. Ad contrahendum vero impedimentum criminis in casu requiritur ut utraque pars conscia fuerit de existentia matrimonii adhuc constantis cum tertia persona, idest requiritur adulterium utrinque formale. Species quidem hæc videtur proposita fuisse Alexandro III. Quidam uxorem legitimam habens, sibi aliam hujus rei insciam copulavit. Mortua priore muliere, secundam retinuit et tractavit affectu maritali, adeo ut perdurante consensu alias præstito per signa, dici potuerit contractum matrimonium clandestinum. Vir deinde volebat recedere ab hac secunda muliere, allegans nullitatem matrimonii cum eadem ob impedimentum criminis, sed respondit Pontifex impedimentum non fuisse contractum, quia secunda mulier ignoraverat matrimonium viri cum alia muliere adhuc vivente. Ergo ex sensu contrario canonis quoties cognoscitur ab utraque parte, inducitur impedimentum; confirmatur ex cap. 5. h. t.

Quoniam in utroque exposito casu non intervenit homicidium, impedimentum solet dici oriri *neutro patrate* idest neutro ex adulteris procurante mortem conjugis innocentis.

4. 3º. Tertius casus impedimenti criminis est *occisio conjugis patrata ex machinatione utriusque* ad matrimonium contrahendum. Ita satis clare concluditur *ex c. 1. De convers. Infidel.* ubi dicitur Saracenos, qui quarumdam christianarum mulierum viros harum mulierum insidiis et machinationibus occiderunt, eas non posse ducere in uxores.

Requiritur ergo, ut uterque conspiratione, auxilio, vel consensu, concurrerit in occisionem conjugis innocentis. Hæc autem machinatio dirigi debet ad finem contrahendi nuptias. Est enim specifica indoles impedimenti criminis, ut legitimum matrimonium impetret et novas subroget nuptias in locum priorum legitimarum nuptiarum. Requiritur insuper ut mors innocentis conjugis revera secuta fuerit, quia caput cit. loquitur de occisione peracta.

Quoniam in casu præsentè concurrat conspiratio viri et mulieris contra vitam conjugis innocentis, impedimentum dicitur ex crimine *'utroque patranse'*.

5. Antiquitus hoc impedimentum adeo urgebatur, ut non solum redderet nullum matrimonium inter eos, qui procuraverant mortem conjugis innocentis, sed etiam iisdem machinantibus interdictum esset matrimonium contrahere cum aliis extraneis personis. Hæc vero interdictio disparuit, sed solum ceu conditio dispensationi a Dataria Apostolica apponi solet, quando dispensatio hæc de impedimento criminis conceditur.

6. 4^o. Quartus casus impedimenti criminis verificatur, quando cum *adulterio* utrinque formali, conjungitur *homicidium* conjugis. Patet conclusio ex cap. 7. h. t.

Conditiones autem sunt a) ut unus saltem contrahentium vel physice vel moraliter, idest per mandatum, consilium, vel preces concurrat in mortem conjugis innocentis. Hinc rati habitio cædis factæ non sufficit (arg. ex cap. 6. h. t.). Non autem requiritur ut uterque concurrat in mortem conjugis, sed sufficit ut unus concurrat. Et ex hac conditione casus præsens a superiori casu specificè differt, quia casus superior procedit, *utroque patranse*, præsens vero procedit alterutro *patranse*.

Quid vero si altera pars nesciat machinationem mortis?

Licet non omnes Doctores conveniant, tamen videtur melior sententia eorum, qui tenent non requiri, ut alter etiam contrahens cognoverit machinationem. Arg. ex capp. 5. et 6. h. t. ubi mentio fit de machinatione unius saltem contrahentis in mortem conjugis.

b) Requiritur ut occisio conjugis facta fuerit animo contrahendi matrimonium. Nam si fiat ob alium finem, ex. gr. ut liberius possent in illicito commercio vivere, non contrahitur impedimentum criminis. Deducitur conclusio ex can. 5. caus. 91. q. 1. ubi dicitur *'occidisse notatur ut conjungeretur'*.

7. Quæritur utrum impedimentum criminis contrahatur ab eis, qui nesciunt ex facto criminoso impedimentum oriri.

Profecto impedimentum hujusmodi positum est ab Ecclesia tanquam pœna, ac proinde videretur ab ignorantibus non contrahi juxta cap. 2. de Const. in VI^o. ubi traditur censuram excommunicationis non incurri absque notitia. Accedit etiam in hypothesi ignorantie impedimenti non verificari rationem seu finem legis, qui est deterrendi conjugem ab inferenda morte conjugi innocenti.

Verumtamen communis sententia Doctorum, et praxis tam Curie Romanæ, quam Curie Episcoporum tenent etiam ab ignorantibus contrahi hoc impedimentum.

8. Sane in curiis non distinguitur inter scientes vel ignorantes impedimentum, sed indiscriminatim matrimonium, posito criminis impedimento, uti nullum habetur, nisi obtineatur dispensatio.

Si ex praxi transeamus ad theoriam, habemus, impedimentum criminis esse utique inductum per modum pœnæ ecclesiasticæ, sed illud inducere indolem irregularitatis, non autem censuræ. Sane scopus proprius et immediatus impedimenti criminis est ut personas inhabiles reddat ad contrahendum.

Inhabilitas autem idem est ac irregularitas.

9. Jam vero in eo præcipue differt irregularitas a censura, ut censura non liget ignorantes, nam pœna censuræ infligitur contra spernentes auctoritatem Ecclesiæ, hinc censura supponit contumaciam quam ipsa frangere intendit. Irregularitas autem etiam orta ex crimine inducitur proprie et directe ex defectu, qui in persona existere a lege præsumitur ob patratum crimen.

Ergo eo ipso quod aliquis defectum patitur, et in nostra hypothesi eo ipso quod quis crimen admiserit, licet ignoraverit crimen illud constituere impedimentum dirimens matrimonium, dummodo compos sui fuerit, et cognoverit in genere malitiam delicti commissi, contrahit inhabilitatem ad contrahendum matrimonium.

Atque ita soluta est etiam difficultas sumpta ex cap. 2. De const. in VI^o.

10. Animadverti ex adverso potest, impedimentum ex crimine fuisse ab Ecclesia statutum, ut deterrerentur fideles a concipiendo voto captandæ mortis conjugis innocentis. At horror ex hoc impedimento concipi nequit, nisi cognoscatur impedimentum ipsum crimini adnexum.

Errantis enim et ignorantis nulla voluntas.

Ergo ubi ignoratur impedimentum criminis, non contrahi illud videtur.

Sed responderi potest finem legis non semper cadere sub lege, idest quandoque legem obligare, quamvis non verificetur scopus ob quem lex edita est.

Lex enim considerat quod plerumque solet contingere,

Hæc vero hypothesis præsertim locum habet, cum lex lata est propter periculum seu finem generalem, quæ proinde urget et obligat, licet in specie non verificetur periculum seu finis legis.

TITULUS VIII.

De conjugio leprosororum.

1. Ex capite 1^o hujus tituli patet ob lepram, vel alium morbum contagiosum supervenientem non solvi vinculum matrimonii, sive illud sit solummodo ratum sive etiam consummatum. Quoad matrimonium ratum et consummatum, ratio est quia agitur de contractu jam completo et perpetuo, idest undequaque indissolubili. Quoad ratum tantummodo, ratio est, quod, licet non sit indissolubile absolute, canones etenim præviderunt casum solutionis ob professionem religiosam, tamen nihil statutum est de incommodo aliquo notabili corporeo superveniente.

2. Nec obstat cap. ult. h. t. in quo dicitur superveniente lepra conjugem cogi non posse ad copulam, quia matrimonium non adhuc fuerat consummatum. Nam illud 'consummatum' non sese refert ad consummationem matrimonii, sed ad consummationem consensus. Agebatur enim de meris sponsalibus in quibus consensus est solummodo de futuro, et non de præsentem et proinde dici potest consensus non consummatus.

3. Quod de lepra vel morbo contagioso superveniente diximus relate ad vinculum, dicendum esse etiam tenent Doctores de lepra vel morbo præexistentibus et ignoratis, idest non exinde irritum reddi vinculum matrimonii. Nam error in hac materia respicit solummodo qualitatem personæ et per consequens non est substantialis.

4. Quæritur utrum lepra vel alius morbus contagiosus inducere possit divortium *semiplenum*, idest relate ad thorum et cohabitationem.

In genere divortium hujusmodi nequit induci a) quia matrimonium importat de se contractum et obligationem perpetuam, b) quia causæ divortii minus pleni, procedunt ex culpa unius conjugis, quæ culpa per se non verificatur in casu, c) quia licet non possit haberi commercium carnale ob morbum contagiosum, tamen adhuc verificari potest societas mutui adjutorii; quæ est unus ex finibus matrimonii.

5. Verum ubi conjunctio maritalis sine periculo haberi nequeat, præstatio debiti conjugalis urgeri non potest. Nam nemo tenetur ad id præstandum, per quod timeatur destructio proprii individui. Hinc continentia servari debet a conjugibus. Cf. c. 1. h. t.

6. Si lepra vel alius morbus contagiosus superveniat post contracta sponsalia, sponsalia hæc dissolvuntur. Nam implicita conditio censetur inesse contractui '*dummodo res ita permaneant sicut sunt*' et alia '*dummodo res sint sicut apparent*'. Conf. cap. ult. h. t.

Prima præsertim conditio in sponsalibus locum habet, nam sponsalia non constituunt contractum absolute perpetuum et irrevocabilem sed possunt resolvi ob mutationem notabilem superinductam, sponsalia enim consistunt in promissione, et non exhibent contractum *completum* quemadmodum exhibet contractum completum matrimonium simpliciter ratum.

TITULUS IX.

De conjugio servorum.

1. Sermo est in titulo præsentem de impedimento *conditionis*.

Servorum nomine in jure non veniunt *famuli*, qui pacta mercede conduci solent, sed illi, qui ex jure gentium, vel civili, dominio alieno contra naturalem libertatem subjiuntur, ita ut considerari possint ceu pars domini domestici, et vendi, vel alio modo alienari possint.

Tales erant qui in bello capiebantur, quique *mancipia*, idest manucapti dicebantur; tales etiam erant, qui ex matrimonio ancillarum, quæ sub dominio erant, nascebantur, nam filius sequitur conditionem matris.

2. Si de matrimonio servorum sermo fit, habemus leges Romanas inter servos non agnovisse verum matrimonium, sed contubernium *l. 3. De Incest. Nupt.*

3. At aliter sentiendum est jure canonico.

Primis quidem Ecclesiæ temporibus, conjugia servorum licet fuissent inita, in scis vel invitis eorum dominis, ab Ecclesia uti valida habebantur. Nam proclamata est Lex Evangelica, qua coram Ecclesia servus non distinguebatur a libero, sed omnes erant æquales in fide. Ita ex *can. 1. q. 2. caus. 29.*, qui canon tribuitur Julio I. Romano Pontifici.